

529-530 SANCTI HILARII HYMNUS FILIAE SUAE ABRAE MISSUS. (C,G,S)*

Lucis largitor splendide (*al. optime*),
Cujus sereno (*al. sermonis*) lumine, Post lapsa noctis
tempora,

Dies refusus (*al. refulsus*) panditur.

Tu verus mundi lucifer,
Non is qui parvi sideris,
Venturae lucis nuntius,
Angusto fulget lumine:

Sed toto sole clarior,
Lux ipse totus et dies,
Interna nostri pectoris
Illuminans praecordia.

Adesto rerum conditor,
Paternae lucis gloria,
Cujus admota gratia,
Nostra patescunt corpora;

Tuoque plena spiritu,
Secum Deum (*supple, sunt*) gestantia: Ne rapientis
perfidi Diris patescant fraudibus:

Ut inter actus saeculi,
Vitae quos usus exigit,
Omni carentes crimine,
Tuis vivamus legibus.

Probrosas mentis castitas
Carnis vincat libidines,
Sanctumque puri corporis
Delubrum servet Spiritus.

Haec spes precantis animae,

Haec sunt votiva munera,
Ut matutina nobis sit
Lux in noctis custodiam.

Gloria tibi Domine,
Gloria Unigenito,
Cum Spiritu paraclito, Nunc et per omne saeculum. Amen.